

W. 529, 22.

B. M. 11 22

II a  
48

ORATIONES SOLLEMNES  
QUATVOR LECTISSIMORVM  
SCHOLAE MEININGENSIS ALVMNORVM.

CRASTINA LVCE  
LOCO CONSVETO HORA VIII

INDICIT

AD EASQVE BENEVOLE AVDIENDAS

MAECENATES

MVSARVMQVE FAVTORES

PRAEMISSA BREVI MEDITATIONE

DE

BIBLIOTHECAE SCHOLASTICAE VTILITATE  
AC NECESSITATE

QVA DECET ANIMI SVBMISSIONE

INVITAT

M. IO. GEORG. MVSAEVS

ILLVSTRIS LYCEI INSPECTOR.



MEININGAE

Typis IO. GVNTHER, SCHEIDEMANTELI TYPOGR. DUCAL.



X eo tempore, quo muneri scholastico adnotus, omnes cogitationes meas in id contuli, vt indagarem, quibus rebus praecipue adolescentium studia litteraria incitari possint et ali; saepe mecum perpendi, quam utilis, immo quam necessaria sit *bibliotheca* publicae bonarum litterarum officinae. Mulum consumbar in hac sententia iudicio diuini viri, et cuius testimonium hac etiam in causa nobis grauisimum esse debet. MARTINI LVTHERI (a), qui studiosissime illis, quibus scholae curae sunt, praecipit, ne operae, ne sumptibus parcant in comparandis in usum scholarum bibliothecis, simulque librorum, qui coemendi sint, deligendorum rationem prudentissimam praescribit. Nec sine magna voluptate perlegi, quas haud ita pridem viri doctissimi scholarumque commoda sedulo curantes, de hac re in publicum dederunt praeclaras commentationes. Altera est M. CHRISTIANI GOTTLOB KAENDLERI Rectoris Sangershusani V. C. disertatio *de bibliothecis scholasticis* (b).

Altera

(a) Hoc B. LVTHERI *consilium de bibliothecis in gratiam scholarum erigendis*, legitur vna typis exscriptum cum oratione V. C. IO. HEINR. VON SEELEN de LVTHERO *de scholis optime merito*. 1716. 4.

(b) Lipsiae 1737. cuius scripti epitomen habes in *Actis scholasticis celeberrimi BIDERMANNI* part. I. p. 67. sqq.

Altera viri itidem suis meritis clarissimi M. IO. ARNOLDI BAL-  
LENSTEDT Conrectoris apud Scheningenses laudatissimi commenta-  
tio *de necessitate magnaue vtilitate scholasticae bibliothecae* (c). Satis copiose,  
satis grauiter, satis etiam digne orauerunt hanc causam, quos laudauit, du-  
tumiri, nec uideo, quid posteriori praesertim libello addi debeat, quod in  
tractatione ista generatim instituta non iam contineatur. Tamen et ipse  
constitui praesenti tempore quaedam in hanc sententiam proferre, et pau-  
cula disputare *de bibliothecae scholasticae vtilitate ac necessitate*. Longiorem  
fusicipere meditationem nostrae rationes iam non permittunt, ideoque  
statim limitibus suis hanc diatriben circumscribam, et nunc paucis actu-  
rum me profitebor, quam difficulter schola carere possit thesauro libro-  
rum probe instructo, si spectes felicem successum in Latinis ac Graecis  
litteris tradendis. Ut sperem, haud frustra me post alios de bibliotheca-  
rum scholasticarum necessitate verba facturum, haud parum excitor,  
quod memini, ea, quae descendere debeant altius ad animos hominum,  
non semel atque iterum dicenda, sed crebra repetitione et variorum ar-  
gumentorum frequentatione atque coarceruatione inculcanda, immo  
infigenda esse. Praeterea video, eadem de hac causa, quam nunc agen-  
dam suscepi, plenissime valere, quae peritissimus vsu causarum foren-  
simum actor PLINIUS de suis actionibus profitetur (d): *Aliud alios mouet,*  
*inquit, ac plerumque paruae res maximas trabunt. Varia sunt hominum iudicia, va-*  
*riarum voluntates: inde qui eandem causam simul audierunt, saepe diuersum, interdum*  
*idem, sed ex diuersis animi motibus sentiunt. Praeterea suae quisquis inuentioni fauet,*  
*et quasi fortissimum complectitur, quum ab alio dictum est, quod ipse praueidit. Omni-*  
*bibus ergo dandum est aliquid, quod teneant, quod agnoscant. Age igitur dabo et ip-*  
*se in medium aliquod argumentum, quod si non multos, aliquos fortasse,*  
*qui scholarum vtilitatibus seruire possint, in nostram sententiam ducet*

(c) 2

atque

(c) Prodiit vernacula lingua scripta Helmstadii 1751. 4. Edidit hanc eru-  
ditam disertationem ea occasione, quum Serenissimus dux BRVNSVICENSIS  
CAROLVS singulari, qua Musas complectitur, gratia bibliothecam, quae fue-  
rat olim sacri conuentus Mariaeuallensis, Scheningam, scholae huius oppidi  
donatam, transferri iussisset.

(d) lib. I. epist. 20. n. 12.

atque impellet. Affirmo igitur, vt reliquarum disciplinarum, ita Latinae Graecaeque linguae doctrinam in scholis parum commode procedere, immo mancam et imperfectam manere, ideoque barbariei fenestras aperiri, vbi doctoribus scholasticis probe instructae bibliothecae copia desit. Hic mihi videor audire voculas quorundam sibi persuadentium atque aliis, nullam partem litterarum paucioribus libris indigere, ea quae versetur in tradenda adolescentibus Latina Graecaque lingua. Quibus enim libris opus est paedagogo, inquit, praeter libellum grammaticum, vocabularium, Nepotem, Phaedrum, Ciceronem et pauculos veteres scriptores, quorum opera tribus quatuorue assibus vbi que prostant venales? Miseram rei scholasticae conditionem, quae tam stolidam, tam insulsam, tam indignam iudicia hominum imperitissimorum ferat atque patiat! Miserrimam vero scholam, si qua tales praeceptores naeta est, qui stantes his opinionibus vulgi, iuuentutem fidei suae creditam ita formant, vt curta sua supellectile libraria contenti meliora subsidia securi contemnant! Hi praeceptorum scriptorum sensa, quae propriis ingeniis facili negotio indagari posse confidunt, aut popularis alicuius interpretis enarratione satis explicari posse sperant, peruertunt. Hi adolescentes aduofaciunt, vt legant, nec intelligant. Hi discipulos suos ex ipso I VLLIO, NEPOTE, CAESARE, PHAEDRO, PLINIO aliisque optimis quibusque Latinitatis auctoribus barbare loqui docent. Hi vulgarium exemplarium scribiline decepti ex CICERONE et huius similibus scriptoribus soloeca et barbara dicendi genera inculcant, vt sunt: *an*, *an* in membris disiunctiuis, *pro vtrum*, *an(e)*: *inquit* orationi praepositum (*f*): *petere aliquem*, pro *petere ab aliquo* (*g*): *audio*, *credo*, *scio*, *quod*, vbi accusatiuus cum infinitiuo requiritur (*h*): *quoquo modo se res habeat*, pro *quoquo modo se res habet* (*i*): *ac sequente voca-*  
li (k):

(e) vid. GESNERVS V. C. ad PLIN. L. VIII. ep. 14. f. 24. et in indice.

(f) IO. MICH. HEVSINGERVS Emendationum lib. II. p. 226. et p. 249.

(g) Vide epistolas CICERONIS BENGELII lib. VIII. ep. 9. n. 6. et libr. XIII. ep. 73. n. 4.

(h) Legatur omnino magni GESNERI disertatio in hanc sententiam, quae Theauris FABRIANO et GESNERIANO inserta est sub voce *Quod*.

(i) Celeb. HEVMANNVS ad orat. Cic. pro Ligario, cap. 8.

li (k): *intempestiua conuiuia pro tempestiuis* (l): *accerso pro arcesso* (m): *vice versa, e contra*, et quae sunt infinitae aliae priscis Romanis incognitae et in vltima barbarie notae orationis formae, quibus plerique editores, qui veteres auctores in vsum tironum emisserunt, exemplaria sua inquinauerunt (n). Non ita peritiores scholarum praefecti, qui experimentis didicerunt, quam infinita sint, quae etiam doctus alioqui et in lectione probe versatus magister parum intelligat aut praeue interpretetur, si vsu excludatur exemplarium priscorum scriptorum, quae GRONOVIORVM, HEINSIORVM, GRAEVIORVM, BVRMANNORVM, DVKERORVM, CORTIORVM, DRAKENBORCHIORVM, GESNERORVM, ERNESTIORVM, OVDENDORPIORVM aliorumque horum similium litteratorum cura longe emendatiora atque explicatiora prodierunt. Et quamuis multorum, qui veteres scriptores in vsum scholarum emisserunt, in fronte librorum aut in praefatione profiteantur, se GRAEVII, GRONOVII, MASSVICII, DRAKENBORCHII vestigiis insistere, suaeque exemplaria ad istorum virorum praescripta emendasse, tamen propius intuentibus apparet, tantam hominum istorum partim negligentiam, partim inscitiam esse, vt pro limpidissimis fontibus, quos suppressos antea sua industria ac solertia viri eruditi denuo aperuerant, antiquas sordes lectoribus suis propinent. Exempla quae sunt obuia, et, quod dolendum, crebra, in medium proferrem, nisi virorum alioqui bene meritorum famae pareerem. Tam

)( 3

inepto-

(k) Vid. BVRMANNVS et OVDENDORPIVS ad SVETONII varios locos.

(l) Vid. Theſaurum celeb. GESNERI voc. *tempestiuus*.

(m) Confer eundem librum voc. *arcesso*; et IO. GEORG. GRAEVIUS ad Sueton. Tiber. c. 52.

(n) Praeclare, hoc est suo more, de his iudicat IO. MICH. HEVSINGERVS cuius viri plane eximii et post fata tam ingenii atque doctrinae gloria, quam humanitatis laude immortalis mortem immaturam eo magis doleo, quod mihi saepius contigit coram cum eo colloqui, eiusque singularem humanitatem admirari, is autem in praefatione Historiae Ciceronis FABRICIANAE a se editae: *certe illis interpretamentis haud aegre carebunt, quae malus saeculi nostri genius, inuitis Musis, non ex interioris philologiae et antiquitatum monumentis deriuata, sed ex putido barbariei coeno hausta, Germaniae inuexit.*

inaeptorum editorum praepostera cura, quam in edendis priscis auctori-  
bus collocant, magnum adfert rei litterariae detrimentum. Multi enim incauti foede decipiuntur, dum comparant sibi libros istos, iisque tam grandia, tam publica mendacia non timentes, securi vtuntur. Praeterea talibus editionibus tabernae librariae ita onerantur, vt melioribus exemplaribus a viris cordatioribus curandis vix locus in iis relinquatur. Necesario igitur adeunda sunt exemplaria, quae virorum doctorum tum eorum, quos supra laudavi, tum illorum similibus studio in publicum prodierunt. Quanto vero pretio veneant libri isti, et quam non exiguam pecuniae summam requirant, si quis vel praecipuos illorum sibi comparare velit, ex indicibus bibliopolarum cognosci potest. Quotus quisque vero eorum, qui scholastico munere funguntur, est, cui tam liberaliter stipendia sup-  
peditentur, vt tantas summas in libros emendos sine periculo egestatis sibi aut suis imminentis erogare possit? Iam magna pecunia, si hominem scholasticum cogites, requiritur, ad coemenda optima exemplaria scriptorum veterum, quos discipulis quisque suis explicet. At longe maior apparatus requiritur, si praelectio prisci scriptoris talis institui debeat, qualis decet doctorem bonum, doctum, ac talem, qui nomine suo dignus sit. Nullus priscorum librorum accurate et sufficienter potest intelligi, adeoque etiam adolescentibus rite explicari, nisi quis plerosque omnes legerit, sibi que familiares reddiderit. Viderint iam homines, qui NEPOTEM, TVLLIVM, aliosque scriptores se praeclare intelligere sibi aliisque persuadent, seque Latinitatis magistros profitentur, cum tamen tota ipsorum sollertia in eo consistat, vt ex vernaculis interpretibus vocabula Latina Germanicis reddant, puerisque suis nihil inde sani discituris insurserent: viderint, inquam, isti, quibus elogiis digni censendi sint, si ne hi quidem prudentioribus officio suo satisfacere videntur, qui optimum quemque commentarium, quo scriptoris, quem explicandum sibi sumunt, illustratur, euoluunt, nisi simul crebra lectione librorum antiquorum fere omnium cum priscis scriptoribus quasi contubernium inierunt. Sed memini, me iam non de officio scholastici doctoris, sed de necessitate bibliothecae scholasticae disputare. Igitur redeundum est, vnde discessi,  
et

et iam satis magnam copiam librorum, eorumque pretiosorum designavi, quibus scholasticus praeceptor quisque uti debeat, pauci vero, ob rei familiaris angustias, uti possint, nisi his publica liberalitate succurratur, et in usum scholarum bibliothecae instituantur. Maiora tamen supersunt, et nemini, nisi plane imperito, ignotum esse potest, quot consulendi sint Latinae Graecaeque litterae rite tradituro libri grammatici veterum ac recentiorum, Lexica varii generis, thesauri antiquitatum, subsidia ad historiam ac geographiam pertinentia, opera numismatica, opera inscriptionum, innumerique praeterea libri, quorum pretia plerorumque privatorum, ne dicam scholasticorum impensas, quas libris emendis destinare possunt, exsuperant. At erunt, qui obiiciant, tam accuratam explicationem auctorum veterum in scholis non admodum necessariam esse, adolescentiumque captui sufficere praelectiones in scriptores utriusque linguae, quae faciliora tantum enarrent. His uberiore sermone respondendum esset, quam quem nostrae nunc rationes ferunt ac permittunt. Tantum breuiter illis reponam, praelectionem, quae adolescentium gratia in veteres auctores instituitur, ideo suscipi, ut tenera aetas imitationi horum adsuescat. Iam vero, quam misera, quam infelix sit ista imitatio necesse est, nisi id, quod imitari debeant, quam accuratissime fieri possit, perspiciant atque intelligant? Tam copiosi bibliotheca, tam copiosi libri requiruntur ad id solum, ut scholasticus doctor in tradendis Latinis ac Graecis litteris suo munere probe fungi possit. Lingua vero utraque pars, magna quidem, pars tamen est eorum, quae in scholis docenda sunt. Reliquae autem disciplinae non magis feliciter traduntur sine usu meliorum librorum, quibus comparandis vix ulli reditus professorum sufficiunt. Superest, ut viri principes atque illustres alique pecuniosi rei scholasticae fautores sua liberalitate hunc defectum scholarum ita sarcire pergant, quemadmodum in multis Germaniae scholis plaudentibus Musis iam dudum fecerunt.

Nunc officii mei ratio exigit, ut VENERABILES SCHOLAE  
EPHOROS OMNESQUE BONARVM FAVTORES, quotquot vrbs no-  
stra

Q1 Ta 48  
stra habet, quam humanissimis precibus rogem, vt sua praesentia de-  
eorent orationes optimae spei adolescentium, quorum tres priores  
emenso curriculo scholastico ex nostra disciplina propediem ad academi-  
cos doctores transgredientur, quartus illis valedicentibus nomine  
condiscipulorum officio respondebit. Delegerunt autem haec sibi de-  
clamationum argumenta:

IO. IACOB. KALBITZ Meiningensis *Historiam litte-  
rariam adolescentibus iam in scholis colendam esse.*

Gratum animum testabitur carmine Latino.

IO. GEORG. LIND Meiningensis *Plurimum adole-  
scentibus historiae litterariae conducere, si his fre-  
quenter bibliothecis interesse liceat. Gratias persol-  
uet eodem, quo coeperit, orationis genere.*

IO. DANIEL. POPPENHEVSER Meiningensis  
*non quasuis historiae litterariae partes a quolibet pari  
studio excolendas esse. Animum exponet gratis-  
imum ode Germanica.*

IO. ADAM. WEIS Voelckershufa oriundus *de damnis  
praecipuis diseret, quae adolescentibus historiam lit-  
terariam tractantes summa cura vitare debent.*

---

P. P. d. XXVIII. Aprilis A. R. S. clo lccc LIII.







W. 529. 22.

B. M. 11. 11. 11

IIa  
48

X 231 6500

ORATIONES SOLLEMNES  
QUATVOR LECTISSIMORVM  
SCHOLAE MEININGENSIS ALVMNORVM.

CRASTINA LVCE  
LOCO CONSVETO HORA VIII

INDICIT

AD EASQVE BENEVOLE AVDIENDAS

MAECENATES

MVSARVMQVE FAVTORES

PRAEMISSA BREVI MEDITATIONE

DE

BIBLIOTHECAE SCHOLASTICAE VTILITATE  
AC NECESSITATE

QVA DECET ANIMI SVBMISSIONE

INVITAT

M. IO. GEORG. MVSAEVS  
ILLVSTRIS LYCEI INSPECTOR.



MEININGAE

Typis IO. GVNTH. SCHEIDEMANTELII TYPOGR. DUCAL.